Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 563
Quelle:
Copyright:

Graculus *Ruab*. Ciconia *Storab*. Vespertilio *Fledarmus*. Merops *Speht*. Tum e *Prudentio:* Seria *Ernosthaftiu*. Strophium *Houpitpant*. Pedicae *Strichin*. Mulctrum *Milibchar*. Congeries *Uberquellan*. Invius *Aniuertigi*. Surculus *Sintulingi*. Cunulae *Nabule*. Aurium meatus *Losunga*. Cariosa *Wrmatiga*. Urgebat *Francta*. Forum *Marcat*. Bipennis *Zwifidrigi suert*. Eviscerando *Zusleisconto*. Obstinatio *Einstritigi*. Fiscella *Churipi*. Lucrum *Scazz*. Struma *Chelba*. Mucus *Roz*. Truces *Crimnun*. Pessulus *Sloz*. Ninguidus *Sineuin*. Eluvies *Uburfluzio*. Crypta *Giruft*. Subterranea *Erthus*. Umbones *Ranthogun*. Haec usque ad *fol*. 49. et *Passionem S. Cypriani*.

CCXCVI.

R. 3167 Codex membraneus lat. Sec. XII—XIV. Folior. 223. f. max. per duas columnas magnifice exaratus, minio distinctus, literis initiorum uncialibus artificioso ductuum plexu visendis, et olim Monasterii *Novimontani*, vulgo *Neubergen*, O. Cist. ab *Ottone Hilari Austr*. et *Styriae* Duce a. 1327. in harum Provinciarum confinio super *Murczam* fl. deducta a Monasterio *S. Crucis in Valle Nemorosa* colonia fundati, ut infra liquebit, complectitur sequentia: I. praetenso folio deciduo e L. II. Paralip. *Incipit Praefatio Sancti Jeronimi Presbiteri In libro Prouerbiorum*. Videlicet illa ad *Chromatium* et *Heliodorum: Jungat epistola* &c. Hanc excipiunt illae duae aliae, prout in Bibliis Glossatis: *Tribus nominibus* &c. et: *Tres Libros Salomonis* &c. inter quas interceptus est Articulus *Glossae* ordinariae de nominibus *Parabolarum*, prout in iisdem Bibliis. Tum Textus III. Libellorum *Salomonis*, item *Sapientiae* et *Ecclesiastici*, quae duo postrema Prologos praeferunt, ut in Bibliis jam citatis. Textus more nostro *Capitibus* distinctus est, et ad calcem *Orationem Salemonis Regis* habet depromtam e III. *Reg*. c. 8. et *Paralip*. II. c. 6. sed non κατα λεξιν. Hactenus porro Biblica, manusque Sec. XII.

II. *fol*. 50. sequuntur Historica, Videlicet *Chronicon* ab O. C. usque ad A. MCCCXCVI. ita tamen, ut manus Sec. XIII. pertingat ad A. MCCXXII. manus vero Sec. XIV. ab A. MCCXLI. pertexat reliqua, et folium *unum* inter utramque manum exciderit. Initium est ejusmodi: *Adam primus homo ad imaginem dei formatus est in ebron. in paradiso cum eua septem horis commoratus ob mandati transgressionem huius mundi exilium subiit. — In ierusalem obiit in loco caluarie sepultus. — Erat autem adam XXX. cubitorum altitudinis. Mortuo autem eo apparuit angelus domini ferens ostrum eiusdem longitudinis. expanditque illud super eum atque nucleum uetiti ligni ori ejus imposuit* &c. Postquam dein nugivendulus hic et vineam *Noae*, et oblationem *Isaaci*, atque *Jephtae*, et *Manuae* sacrificium, et caedem Sacerdotum sub *Jezabele*, et *Abelis* sacrificium,